Matrix alpina fusca innumeris Conchitis præsertim Capulitis, et Pectinitis nigris repleta: Mirum quòd in alpibus nulli quasi Cochlitæ occurrant, vel saltem rarissimi sint, ratio videtur, quia Conchitæ propter planiorem suam, et latiorem structuram facilius mediante aquâ in altum evehi possunt, quàm Cochlitæ, qui insuper in suâ cavitate citius arenâ re- plentur, et sic ingraves sunt, quo minus deportati- oni ap- ti na- ti fi- unt.

Lapis foratus fuscus alpinus ex utroq; latere repræsentatus cum foraminis principio ampliore, et fine angustiore, utroque tamen extimâ quadam fimbriâ tenuissimâ, et quasi scindente cincto: in medio vero profundiore, et ad latera magis excavato. in extima lapidis superficie observatur aliud minus foramen, sed externè ruptum, in cuius cavitate media adhuc integer circulus minimorum quasi seminum fortassè insectorum deprehenditur, quorum quædam microscopio aucta, et maiora reddita repræsentantur: an ab his huiusmodi foramina excavari possint? dubito.

A. Sunt nova alia foraminum principia in utroq; lapidis latere apparentia.